

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. XI - N. 2

1979

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1979

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

| | |
|---|-----|
| Constitutio Apostolica <i>Sapientia christiana</i> | 175 |
| Allocutio ad Episcopos Statuum Foed. Americae Septemtrionalis | 218 |

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

Pont. Commissione Decretis Concilii Vaticani II interpretandis

| | |
|---------------------------------------|-----|
| Responsa ad proposita dubia | 241 |
| Responsa ad proposita dubia | 242 |

ACTA COMMISSIONIS

Opera Consultorum in recognoscendis schematibus canonum

| | |
|--|-----|
| I. Coetus studiorum de Processibus | 243 |
| II. Coetus studiorum de Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum | 296 |

DOCUMENTA

| | |
|---|-----|
| De morbis psychicis quoad matrimonialem consensum (P. Card. Felici) | 347 |
|---|-----|

| | |
|--------------------|-----|
| NOTITIAE | 351 |
|--------------------|-----|

exitus perspiciat, pastoralia media adhibeat, ut coniuges concilientur et ad vitae communionem restaurandam inducantur.

— De his canonibus non factae sunt animadversiones.

Can. 360 (novus)

Causae de coniugum separatione ad publicum quoque bonum spectant; ideoque iis interesse semper debet promotor iustitiae ad normam can. 32.

— De sententia quorundam organorum consultationis, praesentia promotoris iustitiae non videtur necessaria.

Consultores autem non idem sentiunt, cum ratio boni publici suum habeat momentum.

— Quibusdam magis apta videtur praesentia defensoris vinculi. Sed Consultores respondent in istis causis nullum dubium moveri de vinculo matrimoniali et ideo praesentiam vinculi defensoris non esse ad rem.

Can. 361 (novus)

In ceteris quae ad rationem procedendi attinent, applicandi sunt, nisi rei natura obstet, canones de iudiciis in genere et de iudicio contentioso in genere, servatis specialibus normis circa causas de statu personarum et causas ad bonum publicum spectantes.

— Omnibus Consultoribus placet. hunc canonem delere, quia per can. 357 sufficienter innuitur quinam sint canones applicandi in causis separationis quod attinet ad rationem procedendi.

SESSIO VII


(diebus 14-19 maii 1979 habita)

Adunatio diei 14 maii 1979

Can. 362

Soli coniuges, vel alteruter altero invito, ius habent petendi gratiam dispensationis super matrimonio rato et non consummato.

— Nonnullae animadversiones factae sunt circa rubricam Tituli III: est qui censeat meliorem esse rubricam « de processu dispensa-



tionis matrimonii rati et non consummati », vel ut dicatur « de procedura », loco « de processu », vel ut dicatur « ad dissolutionem », loco « ad dispensationem ».

Consultoribus autem placet rubrica uti est.

— De canone 362 non factae sunt animadversiones.

Can. 363

§ 1. *Una Sedes Apostolica cognoscit de facto inconsummationis matrimonii et de existentia iustae causae ad dispensationem concedendam.*

§ 2. *Dispensatio vero ab uno Romano Pontifice conceditur.*

— Suggestum est a tribus organis consultationis ut tribuatur Episcopis facultas concedendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato.

Consultoribus opportunum videtur ut Romanus Pontifex ipse per se concedat talem dispensationem.

— Nonnullis placeret dicere « una Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino cognoscit etc. », ita ut expresse innuatur quinam organus Sedis Apostolicae hanc competentiam habeat.

Consultoribus magis placet locutionem genericam « Sedes Apostolica » adhibere in toto Codice.

Can. 364

§ 1. *Competentes ad accipiendum libellum, quo petitur dispensatio, sunt Episcopi dioecesani domicili vel commorationis non precariae oratoris, qui si constiterit de fundamento precum, processus instructionem disponere debent.*

§ 2. *Si tamen casus propositus speciales habeat difficultates ordinis iuridici et moralis, Episcopus dioecesanus consulat Sedem Apostolicam.*

§ 3. *Adversus decretum quo Episcopus libellum reicit, patet recursus ad Sedem Apostolicam.*

— Unus Consultor proponit ut in eodem libello cumulari possint capita sive nullitatis sive inconsummationis (placet 3, non placet 5).

Alter Consultor autem proponit ut fiant libelli distincti: ad Episcopum pro inconsummatione et ad tribunal pro nullitate; *instructio vero cumuletur apud tribunal.*

Cum haec propositio maiori parti Consultorum placeat (placet 6,

non placet 2), redigitur haec formula, quae tamen collocari debet ut § 2 canonis 365:

« Quod si introducta sit petitio iudicialis ad declarandam nullitatem eiusdem matrimonii, instructio ad idem tribunal committatur ».

— In § 1 Consultoribus magis placet dicere « Competens ... est Episcopus dioecesanus ..., qui disponere debet ».

— In § 1 dici debet: « Episcopus dioecesanus domicilii ... *vel* quasi-domicilii oratoris ... ».

— Suggestum est ut in § 2 dicatur: « ... ordinis iuridici *vel* moralis ... » (placet omnibus).

Can. 365

Firmo praescripto can. 346, horum processuum instructionem committat Episcopus, vel stabiliter vel in singulis casibus, tribunali suae vel alienae dioecesis vel idoneo iudici, nisi aliud iure particulari caveatur.

— Suggestum est ut delean tur verba « nisi aliud iure particulari caveatur », quae inutilia videntur, cum norma plures optiones iam praebeat.

Propositio omnibus placet.

— Aliquis Consultor proponit ut dicatur « idoneo sacerdoti » loco « idoneo iudici » (omnibus placet).

Can. 366

§ 1. In his processibus semper intervenire debet vinculi defensor, ad ea explenda quae in can. 31 statuuntur.

§ 2. Patronus autem non admittitur, nisi, propter casus difficultatem, Episcopus permittendum censeat, patroni facultatibus accurate determinatis.

§ 3. Quod si Apostolica Sedes rescripserit ex deductis non constare de inconsu matione, tunc patronus, a parte electus et ab Episcopo probandus, potest acta processus, non vero votum Episcopi, invisere in sede tribunalis ad perpendendum num aliquid grave proponi possit in supplementum.

— Suggestum est ut in § 1 mentio fiat etiam de praesentia notarii. Consultores respondent talem mentionem non esse necessariam, quia tenet norma generalis de praesentia notarii in processibus.

— Nonnullis organis consultationis placeret patronos admittere in his processibus, si partes id petant.

Fit suffragatio an placeat haec suggestio: placet 1, non placet 7.

— De sententia quorundam melius est si « patroni », qui vi § 2 admitti possunt ab Episcopo, vocentur *consiliarii vel periti*, uti fit in Instructione S. Congregationis de Sacramentis diei 3 martii 1972.

Cum suggestio haec placeat Consultoribus, communi consilio formula § 2 ita mutatur:

« Patronus non admittitur, sed propter casus difficultates Episcopus permittere potest ut iurisperiti opera iuvetur ».

— Duo Consultores proponunt ut § 3 ita mutetur:

« ... tunc iurisperitus de quo in § 2 potest acta processus, non vero votum Episcopi, invisere in sede tribunalis ad perpendendum num aliquid grave adduci possit ad petitionem denuo proponendam ». Propositio omnibus placet.

Can. 367

In instructione serventur, quatenus fieri possit, canones de probationibus colligendis in iudicio contentioso in genere et in causis de matrimonii nullitate, dummodo cum horum processuum indole componi queant.

— Suggestum est ut initio addatur: « In instructione uterque coniux audiatur et serventur ... » (omnibus placet).

— Dici debet « ... in iudicio contentioso ordinario » loco « in genere ».

Can. 368

§ 1. Non fit publicatio actorum; tamen iudex, quando conspiciat petitioni partis oratricis vel exceptioni partis conventae grave obstaculum obvenire ob adductas probationes, id parti cui interest prudenter patefaciat.

§ 2. Parti instanti documentum allatum vel testimonium receptum iudex auditio Episcopo ostendere poterit et tempus praefinire ad suas deductiones exhibendas.

— Nonnulli (paucissimi tamen) petierunt ut fiat publicatio actorum, ut partes melius exercere possint suum ius colligendi probationes de inconsuptione et de exsistentia iustae causae.

Consultores censem publicationem actorum admitti non posse sive ad vitandum periculum subornandi testes, sive quia agitur de gratia

et non de stricto iure partium obtinendi dispensationem super rato et non consummato. Formula canonis tamen talis est ut iudex prudenter auxilium praestare possit partibus ad vitanda incommoda quae in quibusdam casibus provenire possunt ex non publicatione actorum.

— Suggestum est ut ex § 2 expungentur verba « audito Episcopo ». Propositio placet Consultoribus.

Adunatio diei 15 maii 1979

Can. 369

Clausa instructione per decretum iudicis, acta transmittuntur defensori vinculi, qui suas animadversiones conscribat.

— Hic canon supprimitur, quia superfluus videtur, stante can. 371, § 1, ex quo clare eruitur exquirendum esse votum vinculi defensoris.

Can. 370

§ 1. Iudex instructor ad nullam deveniat decisionem, sed omnia acta cum apta relatione deferat ad Episcopum, qui votum pro rei veritate promat tum super facto inconsuptionis tum super iusta causa ad dispensandum.

§ 2. Si instructio processus commissa fuerit alieno tribunal ad normam can. 365, animadversiones pro vinculo in eodem foro confiantur, sed votum pro rei veritate spectat ad Episcopum committentem, cui iudex instructor simul cum actis aptam relationem tradat.

— Nonnullis melius videtur ut iudex instructor promat votum pro rei veritate, cui accedat approbatio Episcopi una cum declaratione ipsius Episcopi circa opportunitatem pastoralem concessionis dispensationis super rato. Unus Consultor talem suggestionem approbat, sed alii Consultores sunt contrarii.

— Aliquod dubium movetur circa opportunitatem exquirendi « aptam relationem » iudicis instructoris; vitari enim debet occasio exprimenti iudicium circa meritum causae, quod influxum habere possit in votum Episcopi vel ipsi voto Episcopi contradicat.

Consultores censent hanc relationem utilem esse ipsi Episcopi, qui tamen omnia acta in promptu habet ut ipse per se suum votum deferat.

— Aliquis Consultor proponit ut votum Episcopi referat etiam de scandali absentia. Propositio in genere placet; quoad formulam autem

alter Consultor proponit ut ita dicatur: « ... tum super iusta causa ad dispensandum et gratiae opportunitate ». Haec formula omnibus placet.

— Consultor quidam proponit ut sive in § 1 sive in § 2 deleatur verbum « iudex », quia saepe Episcopus committit instructionem sacerdoti, qui non est iudex. Propositio omnibus placet.

— Unus organus consultationis animadvertisit in Instructione Sacrae Congregationis de Sacramentis « Dispensationis matrimonii » facultatem tribui Episcopo tribunalis, cui instructio commissa fuit, ut promat votum pro rei veritate.

Consultoribus autem placet ut, de iure condendo, hoc votum spectet ad Episcopum committentem, qui simul dare debet votum super iusta causa ad dispensandum et circa opportunitatem concedendi gratiam: haec solutio magis congrua videtur, neque Episcopi in suis votis aliquid contra hanc normam dixerunt.

— In § 2 dici debet « sed votum de quo in § 1 » loco « pro rei veritate ».

Can. 371

§ 1. *Acta omnia una cum voto Episcopi et animadversionibus defensoris vinculi transmittuntur ad Sedem Apostolicam per illum Episcopum, qui libellum acceptavit.*

§ 2. *Si, iudicio Apostolicae Sedis, requiratur supplementum instructionis, id eidem Episcopo significabitur, indicatis elementis circa quae instructio complenda est.*

§ 3. *Quod si Apostolica Sedes rescribat non constare de inconsommatione, tunc, sub ductu eiusdem Episcopi, inquire potest, servato praescripto can. 366, § 3, num probatio possit aliunde suppleri.*

— Consultor quidam proponit ut § 1 ita redigatur:

« *Acta omnia Episcopus una cum suo voto et animadversionibus defensoris vinculi transmittat ad Sedem Apostolicam* ». Formula haec omnibus placet.

— In § 2 deletur verbum « eidem ».

— Duo Consultores proponunt ut can. 366, § 3 confluat in § 3 can. 371 et formula ita redigatur:

« *Quod si Apostolica Sedes rescriperit ex deductis non constare de inconsommatione, tunc iurisperitus de quo in can. 366, § 2 potest*

acta processus, non vero votum Episcopi, invisere in sede tribunalis ad perpendendum num aliquid grave adduci possit ad petitionem denuo proponendam ». Propositio haec omnibus placet.

Can. 372

Rescriptum dispensationis a Sede Apostolica transmittitur Episcopo qui libellum acceptavit et votum redegit; is vero rescriptum petitori notificabit et praeterea parocho tum loci contracti matrimonii tum suscepti baptismatis sive viri sive mulieris quamprimum mandabit ut in libris matrimoniorum et baptismorum de concessa dispensatione mentio fiat.

— Aliquis Consultor proponit ut deleantur verba « qui libellum acceptavit et votum redegit », necnon verba « sive viri sive mulieris » utpote superflua. Omnibus placet propositio.

— Suggestum est ut dicatur « partibus », loco « petitori » et ut dicatur « baptizatorum », loco « baptismorum » (omnibus placet).

TITULUS IV

DE PROCESSU AD MATRIMONII SOLUTIONEM IN FAVOREM FIDEI

— Suggestum est ut rubrica inscribatur: « De procedura ad solutionem matrimonii in favorem fidei ».

Propositio non placet Consultoribus.

— Quibusdam placeret transferre in hunc Titulum normas de procedura ad matrimonii solutionem obtainendam vi privilegii paulini, inclusis casibus Constitutionum Apostolicarum saec. XVI datarum (cf. can. 1125 CIC).

Aliquis Consultor animadvertisit S. Congregationem pro Doctrina Fidei numquam dedisse normas processuales quae servari debeant ad obtainendam solutionem vi privilegii paulini; illae normae vero quae habentur in parte « De matrimonio » circa privilegium paulinum sunt potius normae substantiales, statuentes scilicet conditiones, quibus servatis, transiri possit ad alias nuptias. Etiam alii Consultores idem sentiunt et ideo non placet propositio constituendi hic novum caput de procedura ad matrimonii solutionem obtainendam vi privilegii paulini.

Can. 373

De dissolvendo in favorem fidei matrimonio eorum, quorum alteruter saltem baptizatus non fuerit, una Apostolica Sedes cognoscit, salvis casibus cann. 339-344 (de sacramentis) statutis.

— Suggestum est ut praemittatur novus canon quo dicatur solos coniuges, vel alterutrum altero invito habere petendi gratiam solutionis matrimonii in favorem fidei.

Consultores suggestionem accipiunt, de qua tamen rationem habere volunt in can. 374, quin novus canon addatur.

— Consultor quidam proponit ut can. 373 ita redigatur:

« *De dissolvendo in favorem fidei matrimonio, de quo in can. 97, § 1 (de matrimonio), una Apostolica Sedes cognoscit* ». Propositio omnibus placet.

Can. 374

Libellus, quo petitur dissolutio matrimonii in favorem fidei exhibendus est Episcopo dioecesano, de quo in can. 364, servatis ceteris eiusdem canonis praescriptis.

— Suggestente aliquo Consultore, canon ita mutatur:

« *Coniux libellum quo petit dissolutionem matrimonii in favorem fidei exhibere debet Episcopo dioecesano de quo in can. 364, servatis ...* ».

Can. 375

§ 1. Instructio ad probandam exsistentiam condicionum, quae ad dissolutionem concedendam requiruntur, aliarumque circumstantiarum quae utiliter cognosci possunt, committatur tribunal vel iudici ad normam can. 365.

§ 2. Serventur etiam in his processibus praescripta can. 367.

— Ratione uniformitatis cum can. 365, in § 1 dici debet « sacerdoti », loco « iudici ».

— Deletur § 2, attenta nova redactione canonis sequentis.

Can. 376

Episcopus dioecesanus omnia acta, una simul cum suo voto et animadversiones defensoris vinculi, Sedi Apostolicae remittat.

— Ex suggestione facta ab aliquo organo consultationis, Consultoribus placet praesentem canonem ita redigere:

« In procedura ad dissolutionem matrimonii in favorem fidei serventur praescripta cann. 366-372, congrua congruis referendo ».

Adunatio diei 16 maii 1979

Cum nonnulla organa consultationis petierint ut in novo Codice exstant normae de processu ob praesumptam mortem coniugis, placet Consultoribus tales normas redigere ut haec lacuna impleatur.

Consultor quidam proponit ut haec materia de praesumpta morte coniugis sequentibus normis moderetur:

« § 1. Quoties coniugis mors authentico documento ecclesiastico vel civili comprobari nequeat, alter coniux ad novas nuptias admitti nequit nisi obtenta licentia Ordinarii loci.

§ 2. Licentiam de qua in § 1 Ordinarius loci tantummodo concedere valet cum ex testium depositionibus, ex fama aut ex indiciis moralem certitudinem de coniugis obitu obtainuerit. Sola coniugis absentia, quantacumque sit, non sufficit.

§ 3. In casibus incertis et implexis Ordinarius Sedem Apostolicam consulat.

§ 4. Interventus vinculi defensoris in processu hoc non requiritur ».

Alter Consultor censet documentum civile praesumptam mortem declarans non tuto acceptari posse, quia aliquando talis praesumptio desumitur ex sola absentia quae per determinatum tempus protrahatur. Alii Consultores idem sentiunt tamen censem normam § 1, quoad documentum civile, servari posse, quia contra periculum, quod dixit alter Consultor, valet clausula quae habetur in § 2 quod scilicet « sola absentia coniugis non sufficit ».

Tertius Consultor proponit ut in § 2 dicatur « quamvis diuturna » loco « quantacumque sit ». Propositio haec omnibus placet.

Quartus Consultor proponit ut §§ 1 et 2 ita mutentur:

« § 1. Quoties coniugis mors authentico documento ecclesiastico vel civili comprobari nequeat, alter coniux a vinculo matrimonii solitus

non habeatur nisi post declarationem de morte praesumpta ab Ordinario loci prolatam.

§ 2. Declarationem de qua in § 1 Ordinarius loci tantummodo proferre valet cum, peractis opportunis investigationibus, ex testium depositionibus, ex fama aut ex indiciis moralem certitudinem de coniugis obitu obtinuerit. Sola coniugis absentia, quamvis diurna, non sufficit ».

Formula canonis, his mutationibus inductis, omnibus placet.

SECTIO III DE COMPROMISSO IN ARBITROS

— Suggestum est ut repristinentur etiam normae de transactione, quae habentur in CIC.

Tres Consultores hanc suggestionem approbant, eo vel magis quod in can. 46, § 3 transactio indicetur una cum arbitrorum iudicio tamquam modus vitandi lites. Etiam alii Consultores idem sentiunt, sed unus censet inutile esse normas de transactione repristinare, quia, transactio adhibetur in quaestionibus de bonis temporalibus. Iamvero in libro de iure patrimoniali fit remissio ad ius civile quoad normas de contractibus et transactio ad contractus pertinet.

Cum fere omnes Consultores concordent ut repristinentur normae de transactione, rubrica huius Sectionis erit: « De modis evitandi iudicia ».

Duo Consultores praebent aliis Consuloribus aliquos canones de transactione, scilicet:

Can. 1: « § 1. Transactio seu conciliatio, uti medium ad vitandas lites, laudabiliter adhiberi potest.

§ 2. Integrum est cuivis Episcopo, vel etiam Conferentiae Episcopali, normas condere ad conciliationem peragendam; quae, si desint, serventur praescripta iuris civilis loci in quo conciliatio initur.

§ 3. Quaelibet normae in conciliatione adhibitae vel etiam decisiones captae iuri canonico cohaerere debent ».

Can. 2: « § 1. Nequeunt esse conciliationis obiectum quaestiones fidem et mores attingentes, necnon causae matrimoniales et criminales.

§ 2. Si quaestio fiat de bonis ecclesiasticis temporalibus, serventur, quoties materia id postulet, solemnitates a iure statutae pro rerum ecclesiasticarum alienatione ».

Consultores post aliquod examen huius formulae, praferunt ut habeatur tamquam basis discussionis formula canonum nostri Schematis, nempe can. 377, ubi fuse tamen tractari debet et de transactione et de compromisso in arbitros.

Can. 377

§ 1. Ad evitandas iudiciales contentiones, partes possunt convenire ut controversia committatur iudicio unius vel plurium qui quaestio- nem dirimant.

§ 2. De compromisso deque iudicio arbitrali serventur normae legis civilis a partibus selectae, vel, si partes nullam selegerint, vigentis in loco ubi conventio initur, salvis semper iure divino et iure canonico.

Consultores praferunt materiam per duos sequentes canones disponere:

Can. 377: « Ad evitandas iudiciales contentiones transactio seu reconciliatio utiliter adhiberi potest aut controversia iudicio unius vel plurium arbitrorum committi ».

Can. 377 bis: « De transactione, de compromisso, deque iudicio arbitrali serventur normae a partibus selectae, vel, si partes nullas selegerint, lex ab Episcoporum Conferentia lata, si quae sit, vel lex civilis vigens in loco ubi conventio initur ».

In hoc can. 377 bis datur possilitas servandi etiam normas, quas ipsae partes ex contractu forte elegerint, vel normas ab Episcoporum Conferentia statutas.

Consultores id fecerunt ex suggestione unius Consultoris, contradicente vero altero Consultore, cui non placet dare iuri particulari facultatem legem ferendi in hac materia.

Suppressa sunt verba « salvis semper iure divino et iure canonico », quia in Normis Generalibus habebitur canon generalis circa hanc cau- tionem.

Can. 378

Praeter casus lege civili, de qua in can. 377, § 2, exclusos nequeunt in arbitros valide compromitti controversiae circa eas res vel ea iura, quae ad bonum publicum pertinent, aliaque, de quibus partes libere disponere nequeunt.

Consultores communi consilio ita canonem mutant:

« § 1. Nequit transactio aut compromissum valide fieri circa ea quae ad bonum publicum pertinent, aliaque de quibus libere disponere non possunt.

« § 2. Si agitur de bonis ecclesiasticis temporalibus, serventur, quoties materia id postulet, sollemnitates a iure statutae pro rerum ecclesiasticarum alienatione ».

Can. 379

§ 1. *Si lex civilis arbitrali sententiae vim non agnoscat, nisi a iudice confirmetur, sententia arbitralis de controversia ecclesiastica ut vim habeat in foro canonico debet confirmari a iudice ecclesiastico loci in quo sententia lata est.*

§ 2. *Si autem lex civilis admittat sententiae arbitralis coram civili iudice impugnationem, in foro canonico eadem impugnatio proponi potest coram iudice ecclesiastico, qui in primo gradu competens est ad controversiam iudicandam.*

— Unus Consultor supprimere vellet hunc canonem, aliis autem placet illum retinere.

— Unus Consultor proponit ut in § 1 dicatur: « ... in foro canonico confirmatione indiget iudicis ecclesiastici loci in quo sententia lata est ». Propositio placet omnibus.

Adunatio diei 17 maii 1979

DE PROCESSIBUS ADMINISTRATIVIS

DE PROCEDURA IN PAROCHIS
AMOVENDIS VEL TRANSFERENDIS

Art. 1.

DE MODO PROCEDENDI IN AMOTIONE PAROCHORUM

— Unum organum consultationis proposuit ut invertatur ordo articulorum, ut agatur scilicet antea de translatione et postea de amotione parochorum. Propositio non placet Consultoribus, quia in Art. De Translatione fit remissio ad quasdam normas quae habentur in Art. De Amotione; ideo magis congruus videtur ordo Articulorum in Schemate propositus.

— Nonnullis procedura huius Schematis in amotione parochorum videtur nimis concedere auctoritati Episcopi ita ut stabilitas parochi in officio detrimentum capiat. E contrario non desunt qui vellent tribuere Episcopis facultatem amovendi vel transferendi parochos sine ulla procedura.

Consultores censem normas huius schematis plene respondere spiritui Concilii Oecumenici Vaticani II (cf. *Christus Dominus*, n. 31).

— De sententia unius organi consultationis, in amotione vel translatione parochorum oporteret aliquas cautiones ponere circa opportunitatem audiendi etiam laicos et alios sacerdotes ipsius paroeciae.

Consultores censem pertinere ad prudentiam Episcopi illos audire. In schemate autem imponitur Episcopo ut rem discutiat cum duobus examinatoribus dioecesanis, quod sufficiens videtur ut Episcopus provisiones non faciat solus.

— Nonnulli suggesserunt ut dicatur explicite normas huius tituli non valere si agatur de amovendis parochis qui sint sodales Instituti vitae consecratae.

Suggestio placet Consultoribus, qui ideo decernunt ut can. 438 addatur § 2 ita redacta:

« Ad parochos qui sunt sodales Instituti vitae consecratae aut Societatis clericorum, servetur praescriptum can. 370, § 2 » (*De Populo Dei*).

Can. 436

Cum alicuius parochi ministerium ob aliquam causam, etiam citra gravem ipsius culpam, noxium aut saltem inefficax evadat, potest ipse ab Episcopo dioecesano, non autem a Vicario generali nisi mandatum speciale habeat, a paroecia amoveri.

— Nonnullis magis placeret locutio *quaestione culpae non attenta*, loco « etiam citra gravem ipsius culpam », ut melius innuatur rationem praecipuam amotionis esse salutem animarum.

Consultores censem sensum unius vel alterius locutionis esse eundem, ideoque placet locutio uti iacet in textu.

— De sententia alicuius organi consultationis verbum « inefficax » praebet Episcopo occasionem arbitrii contra parochum, ideo deberet supprimi.

Consultoribus non placet suppressio huius verbi, quia non potest negari Episcopo facultas interveniendi si ministerium alicuius parochi sit revera inefficax.

— Suggestum est ut in fine canonis addatur « servata quidem naturali et canonica aequitate ».

Consultoribus suggestio non placet, quia in canone sequenti praebentur « causae » ob quas parochus legitime amoveri potest. Tales causae, etsi non exclusivae, eo fine a iure praevidentur ut non violetur naturalis et canonica aequitas.

Can. 437

Iustae causae, ob quas parochus a sua paroecia legitime amoveri potest, hae praesertim sunt:

1) *modus agendi qui ecclesiali communioni grave detrimentum vel perturbationem afferat;*

2) *imperitia aut permanens mentis vel corporis infirmitas, quae parochum suis muneribus utiliter obeundis imparem reddit;*

3) bonae existimationis amissio vel aversio christifidelium in parochum, quamvis iniustae et non universales, quae praevideantur non brevi cessature;

4) mala rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiae damno, quoties huic malo aliud remedium afferi nequeat.

— Suggestum est ut initio dicatur « graves causae », loco « iustae ».

Unus Consultor respondet hic agi de causis ob quas decretum amotionis necessarium et opportunum videatur, quae plerumque etiam graves sunt, sed, per se, possunt etiam non esse graves.

Alter Consultor censet verbum « iustae » deleri posse, quia qualificatio causarum iam facta est in can. 436. Propositio haec omnibus placet.

— Circa causam de qua in n. 1 nonnulli dixerunt esse nimis amplam ita ut occasionem dare possit abusibus.

Consultores autem censem bonum communionis ecclesialis esse tuendum, eo vel magis quod nostris temporibus adsunt frequentes casus contestationis in Ecclesia.

— Suggestum est ut in n. 3 addatur: « bonae aestimationis amissio penes probos et graves paroecianos », ut excludantur casus aversionis, qui subdole suscitantur. Propositio omnibus placet.

— Unus Consultor suppressere vellet « vel aversio christifidelium », sed alii Consultores non idem sentiunt, quia aversio est causa sterilitatis ministerii parochi. Ceterum Episcopus potest promovere parochum ad aliam paroeciam, quando censeat aversionem esse iniustum.

Omnibus Consultoribus autem placet delere verbum « christifidelium », quia superfluum videtur.

— Suggestum est ut deleantur verba « quamvis iniustae et non universales ». Propositio omnibus placet.

— Nonnullis placeret addere « ... bonae aestimationis amissio ... et odium plebis in parochum ».

Consultores sunt contrarii, quia odium comprehenditur in facto aversionis christifidelium.

— Suggestum est ut fiat mentio aliarum causarum, scilicet « bonum animarum », vel « propagatio aut defensio alicuius doctrinae erroneae ».

Consultores respondent causam ex « bono animarum » expeditam nimis amplam esse, quae locum abusibus dare potest. De mentione alterius causae, scilicet de erroribus contra fidem et mores, non est hic locus aptus, cum agatur de delicto.

— Ex suggestione alicuius organi consultationis, Consultores addere volunt aliam causam ob quam parochus amoveri possit, scilicet quando ipse graviter negligit suum officium paroeciale. De sententia aliquorum Consultorum caveri tamen debet ut in casu non deveniatur ad remotionis proceduram, nisi praecedant monitiones.

Consultores, communī consilio, ita redigunt formulam circa talem causam:

« Gravis neglectus vel violatio officiorum paroecialium quae post monitionem persistat ».

Duo Consultores addere vellent « ... post *Episcopi* monitionem », sed alii sunt contrarii.

Haec causa erit n. 4.

— De sententia cuiusdam Consultoris, normae cann. 436-437 transferri possent in can. 370 De Populo Dei, ubi sermo fit de amotione parochorum. Alii duo Consultores vero censem̄t̄ hos canones meliori usui esse si hic retineantur.

Fit suffragatio an placeat transferre illos canones: placet 3, non placet 5.

Can. 438

Peracta ab Episcopo instructione et re cum duobus sacerdotibus, praeſertim examinatōribus synodalib⁹ aut sodalib⁹ consili⁹ presbyteralis, discussa, Episcopus causis et argumentis indicatis, parocho paternē suadeat ut intra tempus quindecim dierum renuntiet.

— Suggestum est ut dicatur Episcopum in peragenda instructione audire debere Vicarium foraneum, nisi id inopportunum iudicaverit.

Propositio non placet Consultoribus, quia id pertinet ad ordinariam Episcopi prudentiam.

— De sententia cuiusdam Consultoris, canon noviter redigendus est, ita ut appareat Episcopum tunc invitare debere parochum ad renuntiandum cum ex instructione causas esse veras viderit. Propositio omnibus placet.

— Alter Consultor in mentem revocat suggestiones aliquorum organorum consultationis ut magis in hoc stadio caveatur de tutela iurium parochi. Sed alii Consultores respondent etiam pro parochis valere cautions quae praevidentur in normis de procedura administrativa in genere.

— Suggestum est ut dicatur in canone « et re cum duobus exami-

natoribus dioecesanis discussa, Episcopus causis et argumentis ad validitatem indicatis ... ». Propositio omnibus placet.

— Consultor quidam proponit ut praescribatur praesentia notarii in discussione Episcopi cum examinatoribus dioecesanis. Sed alii Consultores nolunt hanc imponere praesentiam.

— Aliquis Consultor proponit ut in canone praecipiatur Episcopo ut tres faciat monitiones parocho antequam illi suadeat renuntiationem paroeciae. Alii Consultores autem censem melius esse si nihil dicatur de numero monitionum.

— Circa examinatores dioecesanos suggesserunt quidam ut ab aliis quam ab Episcopo (ex. gr. a Consilio presbyterali) seligantur, vel ut ipsis votum deliberativum tribuatur, vel ut parocho tribuatur facultas illos recusandi.

Consultores censem tales suggestiones esse reiiciendas.

His dictis, proponitur ab aliquo Consultore sequens formula canonis, quae omnibus placet:

« § 1. Si ex instructione peracta constiterit adesse causam de qua in can. 346, Episcopus rem cum duobus examinatoribus dioecesanis discutiat; quod si exinde censeat ad amotionem esse deveniendum, causa et argumentis ad validitatem indicatis, parocho paterne suadeat ut intra tempus quindecim dierum renuntiet ».

Hic addi debet § 2 circa amotionem parochorum qui sunt sodales Instituti vitae consecratae aut Societatis clericorum, ut supra dictum est.

Adunatio diei 18 maii 1979

Can. 439

§ 1. *Renuntiatio a parocho fieri potest non solum pure et simpliciter, sed etiam sub conditione, dummodo haec ab Episcopo legitime acceptari possit et reapse acceptetur.*

§ 2. *Renuntiatio, ut valida sit, fieri debet a parocho aut scripto aut oretenus coram duobus testibus, aut etiam per procuratorem speciali in scriptis mandato munitum; et renuntiationis documentum in Curia deponatur.*

— Est qui censeat § 1 deleri posse, quia in praxi conditions non acceptantur ab Episcopo.

Quibusdam autem placeret ut circa conditionem a parocho forte

appositam audiatur consilium pastorale paroeciae, quando talis conditio sit de re quae tangat communitem paroeciale.

Consultoribus autem placet ut § 1 retineatur uti est.

— Consultor quidam proponit ut § 2 transferatur in can. 165 de Normis Generalibus. Quod omnibus placet.

Can. 440

§ 1. *Si parochus intra praestitutos dies non responderit, etsi constet invitationem parocho innotuisse et ipsum impeditum non fuisse quominus responderet, Episcopus iteret invitationem prorogando tempus utile ad respondendum.*

§ 2. *Si Episcopo constiterit parochum alteram invitationem receperisse, non autem respondisse quamvis nullo impedimento detentum, aut si parochus renuntiationem nullis adductis motivis recuset, Episcopus decretum amotionis ferat.*

§ 3. *Si vero parochus motiva adducit ut obsistat renuntiationi, Episcopus ad normam canonum sequentium procedat.*

— Aliquis Consultor proponit ut in § 1 deleantur verba « etsi constet invitationem parocho innotuisse et ipsum impeditum non fuisse quominus responderet ». Quae propositio omnibus placet.

— Suggestum est ut in § 3 dicatur illam proceduram observandam esse sub poena nullitatis.

Suggestio Consultoribus non placet, quia sufficit actio ad recurrendum, quae oritur ex omissione talis procedurae.

Can. 441

§ 1. *Episcopus parochum invitet ut scriptam brevem relationem exhibeat ad causas et probationes oppugnandas, adductis forte aliis probationibus.*

§ 2. *Si deinde Episcopus censeat ad ulteriora esse procedendum, ad audientiam citet parochum et testes a se et a parocho inductis.*

§ 3. *In audientia munus assessoris habere debent duo sacerdotes de quibus in can. 438, nisi propter eorum impossibilitatem alii sint designandi.*

Can. 442

§ 1. *Probationibus collectis et parocho facto iure inspiciendi acta et respondendi, Episcopus, auditis suis assessoribus, statuat an decre- tum amotionis sit ferendum necne.*

§ 2. *Decretum scripto feratur, expressis, saltem summarie, moti- vis; quod si forte gravissima ratio obstet, ne motiva patefiant, haec in secreto documento exprimantur, quod ei, qui de recursu forte adversus decretum proposito videbit, erit ostendendum.*

— Nonnulli petierunt ut detur parocho facultas sibi constituendi advocatum, qui illum assistat in audiencia.

Consultores sunt contrarii; nihil tamen vetat quod parochus pri- vativum advocatum consulat.

— Aliquis Consultor animadvertisit proceduram can. 441 sero fieri, et alii Consultores, collatis consiliis, idem sentiunt, quare ipsis placet cann. 440, § 3, 441, 442, § 1 mutare.

Alter Consultor proponit ut illi canones mutentur secundum hanc formulam:

« § 1. Si parochus renuntiationi obsistit, motiva allegans quae Episcopo insufficientia videantur, hic parocho terminum praefiniat ut, inspectis actis, brevem relationem scriptam exhibere possit ad causas et probationes oppugnandas, adductis forte contrariis probationibus.

§ 2. Completa, si res ferat, instructione, et iterum auditis ad vali- ditatem examinatoribus de quibus in can. 438, nisi propter impossi- bilitatem alii sint designandi, Episcopus statuat utrum parochus sit amovendus necne, et mox decretum de re ferat ».

— Tertius Consultor vero proponit ut illi canones mutentur secun- dum hanc formulam:

« Si vero parochus causam adductam eiusque rationes oppugnet, Episcopus, ut valide agat:

1) invitet illum ut, inspectis actis, suas impugnationes in rela- tione scripta colligat, immo probationes in contrarium, si quas habeat, eidem adiiciat.

2) Deinde, eisdem examinatoribus accitis, praedictam relationem cum ipsis accurate perpendat.

3) Tandem parocho remotionem a paroecia vel confirmationem in officio per decretum motivatum significet ».

His textibus attente inspectis, maior pars Consultorum votum expri-

mit ut altera formula, scilicet formula tertii Consultoris, sumatur ut basis discussionis.

Fit suffragatio an placeat sumere alteram formulam pro discussione: placet 7, non placet 2.

Post hanc suffragationem, ex communi consilio Consultorum, ita formula emendatur:

Can. 442: « Si vero parochus causam adductam eiusque rationes oppugnet, motiva allegans quae insufficientia Episcopo videantur, hic ut valide agat:

1) invitet illum ut, inspectis actis, suas impugnations in relatione scripta colligat, immo probationes in contrarium, si quas habeat, afferat;

2) deinde, completa, si opus sit, instructione, una cum iisdem examinatoribus, nisi alii propter impossibilitatem sint designandi, rem perpendat;

3) tandem statuat utrum parochus sit amovendus necne, et mox decretum de re ferat ».

— Consultor quidam proponit ut norma can. 442, § 2 Schematis deleatur, quia de eadem materia cavetur in canonibus generalibus de procedura administrativa in genere. Propositio omnibus placet.

Can. 443

Amoto parocho Episcopus, sacerdotibus de quibus in can. 447 in consilium adscitis, pro viribus consulat sive translatione ad aliam paroeciam vel assignatione aliis officii aut beneficii, si ad haec idoneus sit, sive pensione, prout casus ferat et adjuncta permittant.

— Unus Consultor proponit ut canon ita redigatur:

« Amoto parocho Episcopus consulat sive assignatione aliis officii, si ad hoc idoneus sit, sive pensione, prout casus ferat et adjuncta permittant ». Quae formula omnibus Consultoribus placet.

— Suggestum est ut in provisione faveatur magis renuntianti quam amoto (cf. can. 2154, § 2 CIC).

Propositio non placet Consultoribus, quia haec praferentia sapit indebitam pressionem.

Can. 444

§ 1. Parochus amotus debet a parochi munere exercendo abstinere, quamprimum liberam relinquere paroecialem domum, et omnia quae ad paroeciam pertinent ei trahere, cui Episcopus paroeciam commiserit.

§ 2. Pendente recursu adversus amotionis decretum, Episcopus non potest novum parochum nominare, sed per Vicarium substitutum interim provideat.

— Suggestum est ut loco « quamprimum » dicatur « intra tres menses, salva prorogatione ab Ordinario iusta de causa concessa ».

Consultores praferunt ut dicatur « quamprimum », ita ut providetur in singulis casibus iuxta circumstantias.

— Proponente aliquo organo consultationis, Consultoribus placet hic repristinare normam can. 2156, § 2 CIC, quae poni debet post § 1. Norma ita erit:

« Si autem de infirmo agatur, qui e paroeciali domo sine incommmodo nequit alio transferri, Episcopus eidem relinquat eius usum etiam exclusivum, eadem necessitate durante ».

— Suggestum est ut repristinetur hic can. 2146, §§ 1-2, sed Consultoribus placet ut, ad recursum quod attinet, pateant viae in procedura administrativa in genere praeviseae.

— In § 2 dici debet « per administratorem paroecialem », loco « per vicarium substitutum », ratione uniformitatis terminorum.

Art. 2.

DE MODO PROCEDENDI IN TRANSLATIONE PAROCHORUM

Can. 445

Si bonum animarum vel Ecclesiae necessitas seu utilitas postulet ut parochus a sua, quam utiliter regit, ad aliam paroeciam aut ad aliud officium transferatur, Episcopus eidem translationem proponat ac sua-deat ut eidem pro Dei atque animarum amore consentiat.

— Nonnullis placeret hic agere tantum de translatione ad aliam paroeciam, non de translatione ad aliud officium, quia translatio ad aliud officium implicat amotionem a paroecia.

Consultores non idem sentiunt, quia amotio supponit adesse causas ob quas ministerium noxiun aut saltem inefficax evadat; translatio ad aliud officium non implicat formalem amotionem a paroecia.

— Suggestum est ut Episcopus translationem proponat, rationibus tamen ad valide agendum indicatis. Consultores vero censem in hoc stadio procedurae melius esse si non fiat obligatio Episcopo indicandi rationes.

— Consultor quidam proponit ut dicatur « ... translationem *scripto* proponat ... ». Quod omnibus placet.

— Aliquis Consultor delere vellet verba « pro Dei atque animarum amore », sed alii Consultores non concordant.

Can. 446

Si parochus consilio ac suasionibus Episcopi non obsequatur, rationes in scriptis exponat.

— Consultor quidam proponit ut dicatur: « ... suasionibus Episcopi obsequi non intendat, rationes ... ». Quod omnibus placet.

Can. 447

Episcopus, si, non obstantibus allatis causis, iudicet a proposito non esse recedendum, cum duobus sacerdotibus dioecesanis, ad normam can. 438 seligendis, causas discutiat et rationes quae translationis utilitatem vel necessitatem ostendere videntur; iisque auditis, si translationem peragendam censeat, paternas exhortationes parocho iteret.

— Quatuor Consultores collatis consiliis, ita formulam redigunt:
 « Episcopus, si non obstantibus allatis rationibus, iudicet a proposito non esse recedendum, una cum duobus examinatoribus dioecesanis rationes perpendat quae translationi faveant vel obstent; quod si exinde translationem peragendam censeat, paternas exhortationes parocho iteret ». Haec formula omnibus placet.

Can. 448

§ 1. His peractis, si parochus adhuc renuat et Episcopus adhuc putet translationem esse faciendam, parocho praecipiat ut intra certum tempus ad novum se conferat officium, eidem in scriptis significans, elapso praefinito tempore, paroeciam, quam in praesens obtinet, ipso facto vacaturam esse.

§ 2. Hoc tempore inutiliter transacto, paroeciam vacantem declarat.

— Duo Consultores proponunt hanc redactionem § 1:
 « His peractis, si adhuc et parochus renuat et Episcopus putet

translationem esse faciendam, decretum translationis ferat, statuens paroeciam, elapso praefinito tempore, esse vacaturam ». Haec formula omnibus placet.

Can. 449: « In casu translationis serventur cann. 443 et 444 ».

— Ex suggestione nonnullorum organorum consultationis, Consultores ita canonem redigunt:

« In causis translationis servetur can. 444 ».

(F. VOTO, *Actuarius*)

II

COETUS STUDIORUM « DE INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE PER PROFESSIONEM CONSILIORUM EVANGELICORUM » (Ex processu verbali, italica lingua exarato)

IV SESSIONE

Dal 23 al 29 aprile 1979 ha avuto luogo nella sede di questa Pontificia Commissione la quarta sessione del Gruppo speciale di studio costituito per l'esame delle osservazioni trasmesse dagli Organismi consultivi circa lo schema « De Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum ».*

Presiedono le riunioni il Card. Pericle Felici, Presidente della Commissione e S. E. Mons. Rosalio Castillo Lara, Segretario della Commissione.

È Relatore il Rev.do P. Marco Said, O.P. ed Attuario il Rev.do D. Julián Herranz, Aiutante di studio della Commissione.

* Pro praecedentibus sessionibus cf. *Communicationes* 10 (1978), pp. 160-179; 11 (1979), pp. 23-66.